44886/P

[P]

A

XL
IV

A XLIV. 13

Royal College Physici
c̄

44886/P

STATUTA MORALIA

Collegii Regalis

MEDICORUM

LONDINENSIUM.

WELLCOME LIBRARY

LONDINI, M,DCC,XXII.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

De Converſatione Morali, & Statutis Pœnalibus.

SI quæ lis, aut Controverſia, ex Ordine, Gravitate & Modeſtia (quæ in Comitiis obſervari præſcripſimus) parum obſervatis, oriatur, arbitrio Præſidis aut Pro-Præſidis & Cenſorum, quicunque deliquerit puniatur.

At ſi præſes contra Statuta quid admiſerit, admoneatur quidem per Conſiliarios, coram Sociis in Comitiis; non puniatur tamen, niſi ob grave aliquod Crimen (quale eſt

peculatus, ſive diſſipatio bonorum Collegii & Similia) tale Judicatum per majorem partem Sociorum præſentium: Inter quos Volumus, ut quatuor ſint ex Electoribus, qui una cum reliquis ſuper ea re ſententiam ferant. Tantum tribuimus Præſidis honori & auctoritati.

Ne quis revelet aut propalet quidquam alicujus Momenti quod in Collegio dictum ſit, ſub pœna decem Solidorum.

Nullus Collega alterum vel Ignorantiæ vel malæ Praxis, vel alicujus Sceleris aut Ignominioſi Criminis nomine accuſabit; vel publice Contumeliis afficiet. Si quem contra feciſſe Præſidi & Cenſoribus innotuerit; prima Vice ſolvet in uſum Collegii quatuor libras, ſecunda duplicabitur Mulcta; quod ſi tertio quis ſimiliter offenderit, Expelletur e Collegio, nec

denuo

denuo Reſtituetur priuſquam Collegio decem libras ſolverit.

NULLUS Medicus qui ſecundus ad Ægrum vocabitur priorem Medicum repelli faciet: Nec quicquam prius Innovabit (niſi res urgeat) quam illum convenerit. Et ne quis fraudi ſit locus, quicunque ad Ægrum accerſitur, ab illo, vel adſtantibus, an quis Medicamentum aliquod præſcripſerit, percunctabitur, ſub pœna viginti Solidorum.

POSTEA tamen, ex Ægri ſententia, vel ſolus illi medebitur vel cum priore Medico, aut alio aliquo rem adminiſtrabit.

DABIT tamen operam ut priorem Secum in praxi retineat. Quod ſi Ægroti vel Amicorum conſenſu id fieri nequeat; priorem tamen Medicum nullo modo vituperabit; nec vultu, geſtu, ſuſpitioſo Silen-

tio vel ullo alio modo illius Acta apud Ægrum vel aſtantes traducet, ſed eum laudabit potius; neque Id doloſe, honeſtatis & probitatis Nomine, ſed (quod ad rem maxime attinet) periti & Intelligentis Medici, ut alterius famam apud alios, eo loco habeat, quo ſuam, mutatis vicibus, eſſe Cuperet. Nempe ad artis quam profitetur, honorem & dignitatem.

Conſultandi formula.

Si plures Curationis Gratia, convenerint, de Conditione Ægri deliberaturi; Conſultandum eſt Summa Modeſtia, & non, niſi ſecluſis Arbitris alienis; Latine autem Res tranſigatur, alioquin Mulcta eſto quinque Solidorum in uſum Collegii. Tunc primum ſedulo inquirendum in morbi ſpeciem Cauſam

& Symp-

& Symptomata, deinde Remedia proponenda, ad Morbum profligandum & Symptomata mitiganda maxime Convenientia.

Incipiat Junior Medicus, Concludat Senior, at ſi Senior aliquis primo accerſitus fuerit, enarret ille primum rem totam reliquis, nempe quid egerit & quo ſucceſſu, deinde fiat ut dictum eſt.

Si ſæpius ad eundem Ægrum viſendum convenerint, nemo quidquam præſcribat, imo ne innuat quidem quid agendum ſit, coram Ægro vel aſtantibus priuſquam conjunctis Conſiliis privatim inter ipſos Medicos concluſum fuerit; nequis ambitioſe nimium videatur praxin præoccupare & reliquis liberam præſcribendi anſam præripere; niſi ſubita & urgente aliqua Occaſione (eaque approbanda a

Præſide & Cenſoribus) coactus fuerit ſolus præſcribere.

Si Medici in diverſas eant Sententias, ita ut in eandem praxin inter ſe conſentire nequeant, ſumma tamen Prudentia & Moderatione ſic ſe gerant, ut eorum Diſcordia in Artis prejudicium non cedat, nec aliis, ſi fieri poſſit, innoteſcat.

Si duo tantum Medici fuerint, Junior cedat Seniori; vel tertium advocent, cui res referatur.

Si plures, vincat pars major, ſi diſſidentes, numero pares fuerint, concludatur cum majore parte Seniorum. Sic honori & dignitati Artis providebitur, quæ alioquin per Medicorum diſcordiam facile contemptui habebitur. Qui contra fecerit, mulctabitur quadraginta Solidis.

Ne qua lis aut Controverſia inter Medicos propter officioſas Viſitationes, præoccupationes, & Inſinuationes oriatur; Statuimus & Ordinamus; ut cum ad Medicum quemlibet, alii Medici conſultandi Gratia advocati fuerint, ac ſecundum formulam a Nobis præſcriptam, de morbo & Remediis inter eos convenerit; Senior Medicus, aut alius aliquis referat Ægro, aut aſtantibus, quæ approbata & præſcripta communi conſenſu fuerint, eorundemque Executionem cæteri Ordinario Medico relinquant; nec denuo viſitabunt Ægrum, niſi a Medico Ordinario, aut ab Ægro, ut id faciant, expreſſe rogati fuerint.

Nullus Medicus ſive Socius ſive Candidatus ſive Permiſſus Conſilium ineat, cum Empirico aut rejecto a Collegio, & a Medicinæ

praxi

praxi prohibito, aut alio aliquo ſine Admiſſione aut Permiſſione Medicinam exercente, niſi urgente aliqua Cauſa, a Præſide, aut Pro-Præſide, & Cenſoribus aut majore parte illorum approbanda ſub pœna quadraginta Solidorum.

QUILIBET Medicus contentus eſto, honeſta pro Conditione Ægri & laboris ſui, mercede.

NEMO paciſcatur cum Ægro, aut alio quovis Ægri nomine, de prætio Sanitatis reſtituendæ. Verum ſi quis Ægros ſuſceperit curandos, qui ſibi aliter ſatisfactum non putabunt, ni pactionem cum Medico ineant; aut in eos incidat qui facultatum ſuarum aut honoris nulla habita ratione parce nimis & illiberaliter agunt cum Medicis, cum talibus licebit paciſci, Reſervata tamen poteſtate Domino Præſidi & Cenſoribus, atque

in

in eorum abſentia, quatuor ex Electoribus, pro ipſorum prudentia corrigere, ſi quid iniquius pactum ſit & immutare.

Ne quis doceat populum Medicamenta, aut horum Nomina illi indicet (præſertim ſi fuerint Medicamenta vehementiora, velut Purgantia, Opiata vel Narcotica, Abortum facientia, Vomitoria, aut quidquam aliud majoris momenti ac periculi) ne abuſu eorum lædatur populus: Sub pœna quadraginta Solidorum quoties offenderit.

Qui paciſcitur cum Pharmacopolis de aliqua pretii parte ex Medicamentis præſcribendis percipienda, mulctabitur quadraginta Solidis quoties ita deliquerit.

Nullus Socius, Candidatus, aut Permiſſus eorum Pharmacopolarum opera utetur, qui aut ipſi Medicinam exercent, aut iis Me-

dicis

dicis crebro inſerviunt, qui examinati & approbati non ſunt ſecundum Statuta hujus Regni, ſub pœna decem Solidorum quoties offenderit, Collegio Solvendorum, modo ea de re a Præſide aut Pro-Præſide & Cenſoribus præmonitus fuerit.

NEMO, Mulctam ſibi pro delicto ſecundum Statuta inflictam, ſolvere recuſabit, Sub pœna violatæ fidei Collegio præſtitæ.

QUONIAM Pharmacopolæ & Chirurgi ſæpe ad Medicos Urinas Ægrotantium deferunt, petuntque ut ab Urinarum Inſpectione aliquid Ægris ſuis præſcribant; ac deinde ſub hoc Conſultationis prætextu, reliquam Curationis telam Ipſimet, pro arbitrio, pertexunt; quicquid inde quæſtus ſive lucri eſt, id omne ſibi arripientes, Medicis vero nihil præter exilem illam & jejunam Urinarum ſpectandarum

Mercedem

Mercedem offerentes. Idcirco Statuimus & Ordinamus ut Nemo ſive Socius, ſive Candidatus ſive Permiſſus Conſilii quidquam impertiat iſtiusmodi veteratoriis Impoſtoribus ſuper Urinarum nuda inſpectione; niſi Simul ad Ægrum vocetur, ut ibidem pro re nata idonea Medicamenta ab honeſto aliquo Pharmacopola componenda præſcribat.

VOLUMUS præterea ut ſingulis Schedulis ſive Receptis (ut vocant) diem Menſis, & Nomen Ægri, ſuumque quiſque adſcribat. Ridiculum quidem eſt & inſulſum, ex Urinarum ſolummodo Inſpectione ſive de morbi genere ſive de Ægrotantis Statu ac Conditione, Aruſpicum & Conjectorum More, velle quidquam certi ſolidique divinare. Monemus igitur eos Medicos ut hac in re multo cautius in

poſterum ſe gerant, quam antehac a pleriſque factitari Solitum. Et hanc ob Cauſam omnibus Medicinam exercentibus interdictum Volumus, ne Idiotis iſtis & Mulierculis Ægrotantium Matulas Circumferentibus, aliquod Medicamentum præſcribant, niſi aut ipſum Ægrum prius recte noverint, aut Saltem ab iis qui Conſilium petunt, de morbo ejuſque Circumſtantiis & plane & plene inſtructi fuerint. Quippe hac Ratione & dignitatem Medicinæ melius tuebimur & multo aptius certiuſque Remedia periclitantibus profutura excogitabimus.

DENIQUE Statuimus & Ordinamus ut quicunque admittuntur in Societatem Collegii Subſcriptis nominibus polliceantur, ſe Statuta omnia prædicta diligenter obſervaturos aut Mulctas contra

facien-

facientibus inflictas non invito animo perſoluturos.

Si ad hanc Normam Collegium prudenti conſilio Præſidis, Electorum, & Cenſorum gubernetur; & exterminatis indoctis, profligatiſque odioſis Impoſtoribus, Scientia decoretur; certiſſimum eſt, & florentiſſimum futurum hoc noſtrum Collegium in perpetuum, & Univerſæ etiam Reip. (quantum noſtra Officia attinet) recte provideque Conſultum iri.

Quare per fidem illam Collegio datam Socios omnes hortamur, & obteſtamur, ut quo quoverſum diligenter proſpiciant & providenter agant, nec quenquam reſpectu perſonarum habito, admittant in Societatem Collegii: Sed ad laudem, decus, honorem, & perpetuitatem Societatis, omnia decernant. Quoniam certum eſt Collegium

Noſtrum

Noſtrum nulla re firmius Stabiliri poſſe & Continuari, quam bonis Legibus, probis Gubernatorum Moribus, & Collegarum ſingulari Virtute atque Eruditione.

FINIS.